

Dominus voluit utriusque vite exemplum dare hominibus. Fortasse etiam voluit illo exemplo docere, prædicatores, et ministros Evangelii oportere aliquoties a communi vita segregari, et per aliqua temporis spatia serius et frequentius contemplationi vacare, et corpus majoribus jejuniis, vigiliis et aliis modis affligere. In quo etiam Societas ipsum maxime imitatur per usum spiritualium exercitiorum, quæ vel semel, vel sæpius in anno fere ab omnibus per hebdomadam vel plures dies fieri solent, cum frequentiori usu jejuniorum, et aliarum corporalium afflictionum, quæ ad majorem devotionem, ac longiorem solito divinarum rerum meditationem et contemplationem possint deservire. Quam tandem consuetudinem, sexta generalis congregatio suo decreto stabilivit, ut lib. 8, c. 1, in fine afferimus.

16. *Respondetur ad verba Christi, Qui mollibus, etc.* — Ad aliam vero partem in eodem n. 11, respondetur, verba illa Christi Domini, *Qui mollibus vestiuntur, etc.*, in eos dicta esse, qui delicias in vestibus quærunt; non vero ad eos transferri possunt, qui (juxta consilium Apostoli, 1 Tim. 6) habentes alimenta, et quibus tegantur, his contenti sint. Neque enim amplius habere censendi sunt, qui licet habitu nimirum austero non utantur, nihil tamen aliud in eo, quam decentiam, honestatem et commoditatem, suo statui, hoc est, religioso clericatui necessariam, quærunt. Hanc autem regulam servari voluit B. Ignatius in vestitu Societatis, ut supra, in cap. 5, notatum est. Unde, licet ex priori ratione, quæ sumpta est ex communi vita, et conversatione cum proximis, prout supra disseruimus, solum videatur concludi utilem fuisse communem habitum clericorum, quantum ad ea quæ exterius apparent, tamen ex ratione secunda, numero duodecimo addita, quæ respicit necessitatem virium, et salutis corporis ad sustinendos labores Societatis, idem a fortiori concluditur de usu internarum vestium. Eo vel maxime quod nullæ fere adeo interiores lateant, quin exterius appareant; et inter eas etiam est servanda proportio et decencia, ad quam multum pertinet munditia, maxime in his personis quæ cum aliis familiariter conversaturæ sunt¹. Unde de omnibus clericis dixit Hieronymus, epistol. 2 ad Nepotianum: *Ornatus et sordes pari modo fugiendæ sunt, quia alterum deli-*

¹ Vide Baldum, in Rubric. extra, de Vita et honest. cleric.

cias, alterum gloriam redolet. Quibus etiam ait, non ornentur veste, sed moribus; et similia habet epist. 22 ad Eustochium. Cujus auctoritate hoc ipsum confirmat Concilium Senonense, 2 p. de Moribus, c. 24, et Concilium Coloniense, p. 5, c. 26. Et idem habet Concilium Mediolanense, sub Cardinali Borromeo, p. 2, c. de Clericorum vestitu. Et de B. Augustino refert Possid., in Vita ejus, c. vigesimo secundo, vestimenta illius, nec nitida nimium, neque abjecta plurimum, sed ex moderato et competenti habitu fuisse. De qua etiam re nonnulla in superioribus diximus in c. 5. Propter hanc ergo exteriorem decentiam, et munditiam (quam certe solitariis supervacaneam censuit Hilarion, nisi forte de curiosa ac mundum redolente locutus est) necessarium etiam fuit Societatem hoc genere vestimenti uti, cum illud propriam perfectionem non impediatur, et utile sit, ut faciliorem magisque gratum possit habere aditum, ad omnes homines, cujuscumque ordinis sint, lucrandos et familiariter tractandos, quantum eorum saluti expediat. Porro autem dictis in tota hac secunda assertione minime adversatur observari in Societate, juxta regulam 5 ex communibus, abstinentiam sextæ feriæ per annum, statutumque fuisse in septima congregatione, can. 2, ut in pervigilio S. Patris nostri Ignatii jejunium servetur. Hæc enim magis ad cultum ac memoriam passionis Christi Domini et fundatoris nostri referuntur, quam ad statam communemque toti religioni penitentiam indicendam. Quod etiam de illa abstinentia ab omni recreatione, quam eadem Congregatio, in can. 8, pro triduo passionis Christi pie introduxit, accipiendum est.

TERTIA CONCLUSIO.

Societatis regulam valde strictam esse.

17. *Suadetur ex dictis.* — Tertio dicendum est, religionem Societatis sub regula valde stricta et rigorosa Deo inservire. Hoc facile demonstrabitur ex dictis, si declaratio terminorum, supra, num. 2, posita, præ oculis habeatur, nam regula non dicitur arcta, vel laxa, propter corporales afflictiones majores aut minores (quamvis hoc etiam adjuvet), sed præcipue propter majorem rigorem et observantiam in omnibus operibus virtutum et consiliorum, et tanto erit major arctitudo, quanto fuerit major observantia in his quæ majoris momenti et perfectionis sunt. Constat autem evidenter, regulam Societatis circa consilium

obediendiæ, quod est omnium maximum, esse arctissimum, quia descendit usque ad minima, cum maxima dependentia et subordinatione ad Superiorem; et se extendit usque ad maximam cum summa promptitudine, et totius hominis abnegatione; qua de re late in lib. 4, c. 12 et 13; et qui hujusmodi obedientiam non observat, revera huic regulæ plene non satisfacit; ergo. In usu etiam paupertatis maximam quandam perfectionem requirit, ut in superioribus satis tactum est, et citato lib. 4, c. 8 et 9 tractabitur. In castitate vero rigor consistit in summa vigilantia vitandi omnia, quæ vel minimum possunt eam lædere. Quam vero sit exacta hæc cura, tam in regulis¹, quam in usu Societatis, notissimum est; nam aliis quibus potius videtur nimia; considerato autem fine et ministeriis Societatis, nimia quidem non est, non tamen potest non esse maxima et valde rigorosa, si Societas debet in sua puritate conservari, ut per divinam gratiam hæcenus conservatur; qui effectus satis probat regulam ejus in hac parte esse arctissimam. His accedit, quod ex vi regulæ Societatis, tam in Constitutionibus quam in regulis communibus et particularibus contentæ, necesse est, ut, qui perfecte ad illam se conformare voluerit, strenue vigilet in custodia omnium sensuum, et circumspectione verborum, et in abnegatione propriæ voluntatis, et mortificatione omnium affectuum, præsertim ambitionis et elationis; quæ omnia non solum corpus, sed etiam spiritum valde constringunt, et non parum interdum affligunt, præsertim quia hæc cura, licet singulis voluntaria esse debeat, eisque præcipue demandata sit, non tamen illis solis, sed etiam Superioribus ex vi suarum regularum, ut si qui in toto hoc negotio propriæ mortificationis negligentes, ac remissi sint, eos excitent et exerceant. Si igitur hæc omnia attente considerentur, et multa alia, quæ ex ordinariis laboribus et exercitiis Societatis, tam internis quam externis, adjunguntur, nemo, qui ea satis percipiat, dubitabit quin hujus religionis institutum satis arctum et rigorosum sit.

18. Atque hinc, servata proportione, inferre possumus illa duo, quæ in capite superiori, num. 8 et 9, intulimus. Unum est, institutum hoc non posse in se judicari imperfectum, aut minus prudenter ordinatum, eo quod ex regula certam corporis austeritatem aut afflic-

¹ Tertia parte Constitutionum, c. 1, § 4, et aliis locis supra indicatis.

tionem non profiteatur, sed vitam quandam in exterioribus communem, severam tamen, moderatam ac honestam. Probatur eodem discursu quem supra fecimus; nam hæc corporis afflictiones non sunt ita per se bonæ, ut in eis consistat perfectio, sed ut sint instrumenta perfectionis acquirendæ, ut D. Thomas docuit, quæst. 188, art. 6, ad 3; et est doctrina omnium Patrum: Augustini, quem D. Thom. citat, 2 quæst. Evang., quæst. 11; et Gratiani, in c. *Quod dicit*, 41 d.; Basilii, citatis locis, præsertim in Constit. monast., c. 5, et serm. de Servanda virginitate; Cassiani, et Patrum quos refert, collat. 1, c. 7, collat. 2, c. 2, et collat. 21, c. 13, 14 et 15. Et idem sumitur ex lib. 1 de Institutis, c. 11, et toto lib. 5. Igitur si, considerato fine (eoque perfectissimo) religionis, major asperitas ex vi regulæ non est non solum necessaria, verum nec conveniens, non potest religio in se imperfecta aut minus bene instituta judicari, eo quod illo medio non utatur nisi cum moderatione et discretione, suo illi fini accommodato. Demonstratum autem est, considerato fine Societatis et laboribus ejus, illud medium non fuisse illi conveniens in alio gradu aut modo; ergo ex eo capite non habet imperfectionem privativam, ut superiori capite, numero secundo, loquebamur. Quod si ulterius addamus, finem et labores hujus religionis adeo perfectos esse ex suo genere, ut austeritati corporis præferendi sint, quatenus hi cum illa conjungi non possunt, juxta illud Pauli 1 ad Timoth. 4: *Exercitatio corporalis ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia*; quem locum ad hoc propositum, adjunctis multis Patrum testimoniis, tractavi in tom. 2 tertiæ partis, disput. 28, sect. 3; si hoc (inquam) addamus, ulterius etiam concludemus, nec negativam imperfectionem illam dici posse in tali religione, quia illa non est perfectio simpliciter simplex in hoc genere, ita ut formaliter sit necessaria ad perfectionem religionis ut sic; potest siquidem eminenter contineri in aliis laboribus, et afflictionibus majoris momenti, et suppleri per desiderium exterioris penitentia gravioris, ex magno affectu interioris penitentia, præsertimque per voluntatis abnegationem, in qua religiosi perfectio consistit, ut dixit Joannes Climacus, in Gradu primo perfectionis, et Bonaventura in Speculo disciplinae, p. 1, cap. 4. Advertant autem religiosi Societatis, nos hic loqui de instituto ipso, non de singulis personis, nam singuli imperfecti erant, si quantum in ipsis est, afflictionibus corporis

sibi proportionatis non utantur; neque erit eis sufficiens excusatio, quod in aliis laboribus studiorum aut aliorum operum pietatis versentur, vel quod aliæ abnegationes et internæ mortificationes ab ipsis exerceantur, et custodiæ sensuum cura vigiliaque occupentur; nam hæc omnia non excusant ab usu poenitentiae exterioris, cum omni austeritate quæ arbitrio Superioris possit prudenter cum illo alio graviore onere conjungi; hoc enim non solum ipsa ratio per se majoris perfectionis, majorisque cum Christo et Sanctis conformitatis, verum etiam propria regula Societatis illa a nobis sigillatim requirit, ut explicatum est, declararique amplius potest exemplo paupertatis, quam collegia Societatis in communi non habent, cum tamen singuli scholares habeant; sic ergo in communitate Societatis regula definitæ poenitentiae non datur; quisque autem ex regula tenetur sibi convenientem cum Superioris nutu aut jussu assumere, contra quam etiam regulam faciet Superior, qui subdito ea in re non prospexerit.

19. Aliud corollarium huic simile est, propter hoc genus vitæ, non posse religionem hanc judicari minus perfectam quacumque alia, a qua in exteriori vitæ austeritate ex vi regulæ excedatur; sicut D. Thomas dixit de excessu in paupertate, et nos ostendimus de excessu in usu chori, in citato num. 5 superioris capituli. Eadem enim ratio hic omnino applicari potest, quia ille excessus non est in re simpliciter necessaria ad perfectionem, neque in re omnium optima. Oportet ergo pensare an religio illa, quæ in austeritate excedit, in aliquo alio bono excedatur, ut in perfectione obedientiæ, contemptu honorum et dignitatum, laboribus circa salutem proximi, et exercitatione ac professione perfectarum solidarumque virtutum, vel alia simili; et deinde oportebit expendere quod illorum bonorum magis ponderet, et tunc legitime fiet comparatio, quam tamen facere, ut sæpe dixi, meum non est.

20. Ultimo ex dictis facilis est responsio ad secundam objectionem, cap. 7, num. 2, relictam, et ad rationem dubitandi in principio hujus capituli propositam. Nam imprimis distinguimus austeritatem corporalem a rigore vel

arctitudine religionis, quæ non immerito dici potest spiritualis austeritas, et quamvis prior in Societate non emineat, posteriorem ostendimus esse magnam, eamque per se ad perfectionem religionis pertinere. Deinde fatemur antiquas religiones in majori austeritate corporali fuisse fundatas, quantum ad ea quæ pro toto corpore religionis per generales regulas designabantur; id vero ortum est ex diversitate finis, studiorum, actionum ac laborum; et ideo hæc diversitas non est contrarietas, sed potius conformitas proportionata. Quoad usum autem et exercitium earumdem vel æquivalentium austeritatum, et afflictionum corporis, ortum etiam ex vi regulæ, licet diverso modo propositæ, fortasse non est magna diversitas; et si qua est, aliis muneribus compensatur, ut satis explicatum est. Denique addere possumus primam et antiquissimam religionum fuisse religionem Apostolorum, quæ quia non fuit instituta ad vitam quietam, vel solitariam aut otiosam, ut Augustinus loquitur, nec ut membra ejus in uno loco consisterent, sed per universum mundum discurrerent, ideo non legitur fuisse fundata in certa aut uniformi austeritatis regula, præter tria substantialia religionis vota, cum maxima eorum perfectione in ordine ad illum finem, qui, Actor. 6, illis verbis exprimitur: *Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.* Unde, licet certum sit Apostolos castigasse corpora sua, et in servitum redegisse, modus tamen non est certus, nec unus et idem pro omnibus fuit definitus, sed unusquisque, quod prudenti arbitrio suo muneri, juxta proportionem virium et actionum, expedire judicabat, egisse creditur. Nam de Jacobo fratre Domini refert Eusebius, lib. 2 Histor., cap. vigesimo quarto, ex Hegeippo, nunquam induisse laneam vestem, sed sola syndone lineam usum; alii vero hoc non observarunt, et ita est de aliis rebus ad usum corporis accommodatis. Illud ergo institutum suo modo imitatur Societas, ejusque alumni conari debent ut, quoad possint, Apostolos imitentur. Hoc, inter alia, observato discrimine, quod Apostoli in hujusmodi rebus ab Spiritu Sancto proxime et specialissime regebantur; nobis autem Superioris judicium voluntas pro regula proposita est.

INDEX CAPITUM LIBRI SECUNDI

DE INGRESSU IN SOCIETATEM, ET PROBATIONE, TUM QUÆ ILLUM ANTECEDIT, TUM ETIAM QUÆ SEQUITUR.

CAP. I. *Rectene instituta sint aliqua impedimenta substantialiter impediunt ingressum in religionem Societatis, et quænam illa sint.*

CAP. II. *De quodam alio impedimento ex defectu originis.*

CAP. III. *De impedimentis accidentalibus, seu quæ conditiones servandæ sint, quæve probatio antecedere de-*

beat, ut aliquis convenienter in Societate Jesu recipiatur.

CAP. IV. *An biennium ingressis jam Societatem pro secunda probatione seu novitiatu convenienter sit assignatum.*

CAP. V. *De experienciis hujus secundæ probationis in Societate Jesu.*

LIBER SECUNDUS

DE INGRESSU IN SOCIETATEM

ET PROBATIONE TUM QUÆ ILLUM ANTECEDIT, ET QUÆ SUBSEQUITUR.

Explicato Societatis instituto, ut rationem omnium, quæ in ipso sunt, distinctius tradamus, necesse est ex illa generalitate ad particularia descendere, quod faciemus servato illo ordine, quem in superioribus disputando de statu religioso in genere tenuimus; quamvis, quia in Societate plures sunt personarum differentiae et gradus, quam in aliis religionibus, ut notatum est lib. 1, cap. 1, num. 3, et latius cap. 3, num. 12, ideo per illos omnes discurrere necessarium erit. Incipimus ergo a primo ingressu, de quo ante omnia supponenda sunt, quæ in communi de ingressu religionis in tomo superiori sunt dicta; nam in illis fere convenit Societas cum aliis religionibus, præter quædam specialia, quæ ex proprio instituto illi conveniunt, ex quibus quædam dici

possunt substantialia, id est, necessaria ad valorem ingressus, quædam vero accidentaria, quia nimirum servari debent ut receptio recte fiat, quamvis si omittantur valida sit, et utraque sunt a nobis explicanda.

CAPUT I.

UTRUM RECTE INSTITUTA SINT ALIQUA IMPEDIMENTA QUÆ SUBSTANTIALITER IMPEDIANT SOCIETATIS INGRESSUM, ET QUÆ ILLA SINT.

1. *In instituto Societatis haberi impedimenta ad ingressum.* — Inter Societatis ordinationes seu regulas, primum locum tenent illæ, quæ ad dirigendum modum recipiendi eos, qui ad Societatem aggregandi sunt, traduntur,